



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus IX. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

FASCICULUS IX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 34. lib. Genes. in quo describitur Dina curiosa desloratio,
Sichemorum fœdus & eorum clades.*

N. 51. *Considera:* **Q**uanta damna homini afferant curiosi & malè mortificati oculi: Dina cum, dum curiositate ducta & seducta, spectatum ivit mulieres alienigenas, rapta à Sichem, & ab eo corrupta est. Optimè ergo S. Ambros. oculos vocat *retia*, & Salvianus illos nominat *naturales animæ cuniculos*. Quare Prædicatorum Generalis secundus, cum ex gravi infirmitate usum unius oculi perdidisset, convocatis in capitulum fratribus dixit: fratres gratias agite DEO, quia jam unum perdididi inimicum. Heroïna Judith Holofernem superatura, id unicum petiit: *capiatur laqueus oculorum suorum in me*. Sciebat: curiosum oculum intuenti regulum esse qui dum nictat, necat. Verùm si tam nocivum fuit Dinæ, oculos non frænare in aspiciendis personis paris sexûs; quàm nocivum tibi erit ò Christiane! personis disparis sexûs familiariter colloqui? sicut Sal, quod ex aqua factum est, eidem si jungatur, mox solvitur, & deficit; ita masculus ex muliere natus, ut ei appropinquaverit, perdit virilem animum, & effœminatur; *nihil sentio*, ait S. August. lib. 8. Soliloq. *Quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quàm blandimenta fœmina*. Si teste Isaia cap. 40. Omnis caro fœnum est, & teste Jacobò Apostolò *lingua mulieris ignis*, quid ex hoc consortio nisi incendium exspectabitur? quod Diabolus in Paradiso non valuisset multò molimine, hoc unica fœmina etiam sine verbis effecit, dandò vetitum pomum Adamo, *qui comedit*. Genes. 3. armatis Israëlitarum cohortibus non virorum exercitum, sed imbelles fœminarum colloquium & consortium objecit Balac: *Fœminarum enim congressus*, ut asserit S. Basil. Serm. Quod castitas virtutum fundamentum sit, ut præcipua Diaboli tela, qua maximos viros precipites egerunt, sunt omninò vitandi: quodque mirum in hoc genere: *etsi nulla libido, nulla peccandi voluntas, nihilque nisi sanctum in dictis factisque admiremur; tamen ipso congressu à natura titillatio quadam*

quædam oritur, ut sexus statim diversitas sentiatur. Atque hinc S. Simon stylita conversus, nulli unquam mulieri oculos intendit: ut taceam penitus negatum colloquium; quin imò propriæ matri omnem recusavit accessum. S. Hieronymus, ut se ab hac difficili pugna expediret, non passurus in anima cladem, inter feras vitam egit, & Vigilantio sibi objicienti: hanc methodum vivendi non esse pugnæ, sed fugæ similem, responso dedit: *Fateor inbecillitatem meam: nolo spe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam.* Experiuntur, talibus colloquiis & consortiis addicti masculi, quod expertus est Sichem corruptor Dinæ, de quo ejus parens v. 8. hujus capit. meminit, asserens: *Adhesit anima filii mei anima filie vestra.* Concupiscentia enim carnis limus est, lutum viscosum, quod si quis apprehenderit, quasi inseparabiliter sibi agglutinatur. Mulier quidem facta est viro in adiutorium, sed incauto fit in exitium. Hoc ergò Christiane lector ut effugias, fuge mulierum consortia præsertim illa, quæ fiunt remotis arbitris.

Porro sicut erga corruptam Dinam se gesserat stuprator, ita Diabolus erga masculos se gerit, quos mulierum consortiis in sua egit retia, & in lapsum præcipites egit. Ut enim videt, eos per interna Angeli custodis monita salubri timore adactos tristari de perdita innocentia, de offenso Deo, de promeritis Tartari pœnis: illicò eos variis terrenarum rerum illecebris nititur delinire, ut hanc piam tristitiam tanquam proximam solidæ emendationis viam, penitus ex eorum mentibus abigat.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 35. lib. Genes. in quo describitur Jacobi Iter, in Bethel institutum, ut DEO sacrificaret.

Considera: **N**ON absque Mysterio & Speciali documento Jacobum, N. 52. DEO sacra facturum, petiisse ab uxoribus suis præter simulachra Deorum inanium etiam ipsas inaures, quas patriò more gestare consueverant: nam per has, tanquam per symbola illorum hominum, qui libenter aures detractoribus prebent, poterant æquè displicere DEO, ac per ipsa Idola, dum teste S. Ambrosio lib. de Jacob cap. 7. *Genus Idololatria est, benignè accipere detrabentem, eidem arridere,*

dere, & applaudere. Nunquam ergo credas ò Christiane! tuas preces & sacrificia à DEO exaudienda fore, si aures feras malè custoditas à detrahentium linguis. S. Augustinus: ut convivas suos doceret, quàm invitâ aure exciperet detrahentium verba, hoc distichum supra mensam suam scriptam affixerat: *Quisquis amat dictis infantum rodere famam, hanc mensam veritam noverit esse sibi.* Tamque strictam observantiam his monitis haberi voluit: ut cum aliquandò familiares sibi Episcopos audiret, de aliis perperam loqui, eis diceret: aut versus hos delendos esse, aut se de sede surrecturum. Propheta regius testatur: non tantùm surdas sibi aures ad detrahentium dicta extitisse, sed detractorem inimici locò se excepisse: *Detrahentem proximo suo hunc persequerbar.* Sanè sicut sirenum suaviter cantantium voces, dum avidâ bibuntur aure, navem in periculum submersionis ponunt: ita detrahentium verba libenter audita, audientis animam peccati periculo exponunt. Jusserat olim Deus Exodi 38. fieri in Templo certos lebetes, in quos emunctæ candelarum reliquiæ projicerentur, ne tetrò odore offenderent nares, sed aquis immersæ extinguerentur: videtur hoc Præceptò insinuasse: detrahentium factores ociùs per displicentiam audientium extinguendos esse, ne in Templo animæ peccati factorem excitent: elephas etsi à natura sortitus sit ingentem corporis staturam, valentem magis viribus; adeò tamen sibi à muribus timet, ut vel solum eorundem fugiat odorem: haud secus summi in pietate viri sibi timent à detrahentium linguis, quibus murium instar fama proximi, & ipsa auditoris conscientia arroditur. Supra citatus detractionis osor Augustinus lepræ contagio comparat detrahentium linguas Serm. 26. ad ff. in eremo scribens: *Sicut lepra proprium corpus devorat, & sic adherentes inscit; sic & murmurator non solum se, sed etiam cunctos audientes inscit, ac perimit.* Quare lege divinâ imperatum est, leprosos separari à castris, & os contactum habere, ne halitu tuò aliis nocumento forent. Cumbriæ Rex teste Ludovicò Barthemà; cum ab infantia venenò nutritus esset, solò sputò vel halitu homines necare consueverat; haud aliter se erga proximos gerunt detractores, qui sibi aurem præbentes necant in anima, venenò maledicentiæ infecti. Quare illos instar veneni fuge ò Christiane!

N. 53. Considera 2. Quàm pulchram utilemque Doctrinam pœnitentibus Jacobus reliquerit, dum non tantùm voluit, ut simulachra inanium

nium Deorum à suis uxoribus abjicerentur, sed ut etiam mutarentur vestes: per hoc innuens, ad veram pœnitentiam, & ineundam cum DEO pacem non sufficere, quòd quis peccata sua confitendò abjecerit, sed requiri insuper, ut deponantur pravi habitus & malæ consuetudines, ne stantibus his relabamur in peccata, quæ paulò ante deposuimus. Hinc nos hortatur Christus Matth. 10. *Non veni pacem mittere, sed gladium,* & Moyses Levitis imperat Exodi 32. *ponat vir gladium suum super femur suum, & occidat unusquisque fratrem, amicum & proximum suum.* Quæ verba Petrus Damian. explicat, trahensque ad sensum spiritualem & proposito accommodum ait: *Mysticè docuit: nequaquam sufficere, si ab Idololatriæ cultu, vel pravitate vitæ quisque convertitur, nisi & propria vitia gladiò Spiritûs mortificare conetur.* Hæc si non audirem verba, mirarer certè: quòd Magdalena de remissis omnibus peccatis certior reddita, mortificandis sensibus tota incubuerit: non patiebatur amplius, oculos converti ad objecta, quibus tam suaviter antea eos pascebat, sed continuis lacrymarum imbribus madebat. Sepiebat aures spinis, quos antea recreabant amasiorum cantilenæ. Guttur, cui nonnisi delicatissimis cibis & potibus blandiebatur, infudit aquam cum lactucis agrestibus & herbis. Manus, nonnisi tractare mollia asuetas, durò exercuit in labore. Gentium Doctor ad vitam spiritualem à Christo resuscitatus exclamabat, *quotidie morior.* Morte videlicet moralì, quam sensuum nostrorum mortificationem appellamus. Hæc morte sibi quotidie utendum reabatur Apostolus; ne dum vivere permetteret passiones suas, ipse vivere non permetteretur. Præibat hoc in passu gentium Doctorem regius Propheta: qui veniam peccatorum suorum adeptus, cum pro hac & aliis à Deo acceptis gratiis gratias referebat. Deo, exclamans Psalm. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* statim subjunxit: *Calicem salutis, mortificationis quotidianæ symbolum, accipiam &c.* hem! Christiane pœnitens hunc calicem tibi pariter propinat; ut bibas ex eo sanitatem animæ, æternum duraturam,

Doctrina 3.

Desumpta ex capite 37. lib. Genes. in quo describitur Jacobi amor erga Josephum. Techna fratrum & venditio atque luctus Jacobi ob Josephi mortem, quam audierat à bestia illatam.

N. 54. Considera I. **J**acobum, dum ita dilexit filium Joseph, ut ei tunicam polymitam fecerit, se probasse sincerum verumque amatorem: nam sincerus amor largis manibus probatur, ut probatus est à Jonatha, qui propter Davidem sibi dilectissimum se propria tunicam exspoliavit. Ita probatus est à tribus Magis qui Christo amantissimo infantulo obtulere munera. Ita probatus est ab ipso aeterno Patre, qui filio suo longè charissimo dedit omnia in manus. Ita probatus est à Spiritu Sancto erga Apostolos sibi acceptissimos, dum eis tribuit charismatum Dona. Quare falso te dixeris amatorem proximi ò Christiane! si eidem necessitate presso, non succurras, dandò eleemosinam; Qui enim aliquem amat, ait S. Clem. Alexand. lib. 1. Pædag. ei vult prodesse. Nec sufficit expectare, donec rogeris; sed hilarem datorem promptumque exigit vera charitas, ut docuit Tobias filium suum, & S. August. lib. 50. homiliar. homil. 39. pulcherrimis exprimit verbis, dum ait: Festina pietate succurrere, ne audias rogantem, ne quod debetur Domino, vendices tibi. Imitare Deum, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Et ecce! venit tibi pluvia antequam roges, descendit ubertas nocte, dum stertis, dum adhuc in lecto es. Faciat Cælum, & parturit terra tot cellaria messium: dum nescimus, sic accipimus, & tantas opes comedimus, antequam rogemus. Et tu homo modicus, modicum panem precibus vendis? non rogaverunt quatuor millia JESUM in deserto septem panes & paucos pisces, ut infinita agmina pranderent, qui prandiò vicisset saltem usuram mensura. Hanc Doctrinam sibi dictam autumans S. Richardus Episcop. Cicestrens. Sæpè stipem elargitus est iis, quarum preces nondum audierat, & cum essent, qui causam hujus ultranæ liberalitatis quærerent? illa Davidis verba responsi locò dedit iniquis Suriò teste 3. April. Scriptum est: Domine! prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis &c.

Nec satis erit amoru litatum, si dederis non rogatus, nisi etiam des celeriter; Ne dicas amico; Proverb. 3. vade, & revertere: cras dabo tibi, cum statim possis dare. Hinc evangelicus ille villicus Luc. 16. erga debi-

debitores suos se liberalem exhibiturus remittendo debita, uni dixit: *Sede cito, & scribe 50. &c.* Surius 23. April. memorat: S. Adelbertum secundum Pragensium Episcopum, cum pauperi viduæ in via constitutus, non haberet pecunias, quas largiter daret, iussisse illum alterâ die adire civitatem, ut ibidem à se acciperet, quantum ejus exigeret necessitas: Verùm mox tactum meliore cogitatione dixisse famulo, quis scit: An in crastinum usque vivam? hodie compleat acceptio datum, ne ego iudicium, illa verò sentiat damnum; detrahens ergo sibi cappam, quâ amictus erat pecuniæ locò pauperi detulit. Nec demum sinceræ dilectionis leges adamussim observat ille, qui dispensat dispari ratione personarum habitâ, puta: qui liberalior erga notos aut propinquos existit, neutiquam satisfaciens verbis Apostoli Galatarum 6. Quæ verba expendens S. August. asserit: *Ad omnes homines faciamus bonum. Ad omnes dico: non per partes, non ad unum, vel duos, vel tres, sed ad omnes homines. Christus enim non pro Sanctis tantum est passus, sed pro peccatoribus, & impiis & sceleratis ascendit in crucem &c.* His præluserat monitis vidua Saraptena 3. Reg. 17. Quæ licet gentilismum profiteretur, erga Eliam tamen Hebræum tam munificam se exhibuit.

Considera 2. Jacobum auditâ filii sui morte scidisse vestimenta, *N. 55.* & induisse se ciliciò, ut doceat nos: alienæ mortis memoriam ferriò habitam, optimum esse veræ pœnitentiæ stimulum. Quare Angelus saluberrimum mulieribus documentum daturus Matth. 28. Vocat eas ad sepulchrum, asserens: *Venite, & videte, ubi positus erat Dominus.* Eo ipso momentò, quò concionante Paulò adolescens ille Act. 10. mortuus cecidit, desit concionari Paulus; etsi viderentur plura superesse, populo inculcanda: sed concionatoris vices optimè subiit ipsa mortis Imago, omnium auditorum oculis objecta. Nullò efficaciori sermone Maximilianus primus Imperator putaverat, Populum ad contemnendam Mûndi Pompam persuaderi posse, quàm si cadaver suum exponeretur, ab omnibus conspiciendum. Liffardus Monachus & Janitor Monasterii Casariò teste lib. 4. c. 4. Cùm magnò vitæ religiosæ tædiò affectus, de repetendo cogitaret sæculo, à fene quodam ad Cœmeterium de nocte ductus, & apertò sepulchrò cadaver inspicere iussus, omnem tentationem unicò actu excussit. Sanè ut matres, dum volunt ablaçtare infantulos suos, aliquid absynthii aut aloës mamillis apponunt: ita homo à delitiis, quibus

peccandò assueverat abstrahendus, amaram mortis memoriam sibi præfigat. Sicut nemo, ait Drexel. in prodrom. prudens inter oceani fluctus in tabula ludit: nemo ab ingenti præcipitio pendulus scelera meditatur: nemo inter medios armatos hostes inermis hilarescit: ita qui in perpetuo mortis metu versatur, audebit ea perpetrare, quæ æternum infelicem asserunt mortem.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 38. lib. Genes. in quo describitur Incestus Thamar, Judæ confessio, geminorum partus.

N. 56. Considera 1. **Q**UOD etsi gravissimum commiserit peccatum Judas, habendò carnale commercium cum Thamar, in hanc tamen solam capitale feratur supplicium: adeò quidem, ut Judas peccati sui nec accusetur quidem. Videtur illud ea de causa factum: quòd Judas ipsemet agnoverit delictum suum, illudque suâ spontè confessus sit, dicens: *Justior est me.* Prius se ipsum accusans, quàm fuerit ab alio delatus, aut accusatus. Rectè igitur ad propositum nostrum asserit S. Bernardus Tract. de interna domo c. 1. *Ex eo unusquisque justus esse incipit, ex quo sui accusator esse incipit.* Vix crudelis ille latro in hæc verba linguam resolverat: *Nos digna factis recipimus,* ocius audivit Christum promittentem sibi: *Hodiè mecum eris in Paradiso.* Lucæ 23. Leprosi Evangelici, ad Sacerdotes confessionis gratiâ missi, Lucæ 17. *dum irent, mundati sunt;* adeoque ipsum etiam confessionis deponendæ desiderium; erat eorum curatio. *Confessio & pulchritudo,* canit Regius Vates Psal. 95. *in conspectu ejus.* Optimè conjungitur confessioni pulchritudo tamquam fluvius suo fonti, tamquam fructus arbori, tamquam herba semini. Pulchrum ergò te reddes Christiane, si tantum dixeris, deformem te esse: inculpatus eris, si tuam culpam sincerè sacerdoti apperveris. Miraculum diceres: si mulier solâ parvi sui corporis detestatione integrum mox palmum excreveret, plusquàm mediocrem adepta staturam; aut rugosos suæ frontis vituperandò sulcos rugasque, pellem subito extendi sulcosque explanari cerneret: aut fuscum suæ facili fastidiendò colorem, genas sibi redderet candidas. Aut suæ maledicendò senectuti, ad primævum floridæ ætatis ver rediret: & tamen quod in hoc mortali vita miraculum diceres, ex confessione, naturali quasi effectu nascitur; hæc enim meretrices coram Deo

Deo turpissimas vertit in Virgines speciosissimas: hæc avaros Telonarios in liberalissimos efformat eleemosinarios: hæc publicanos mutat in Apostolos. Hos effectus perpendens S. Hieron. exclamat Epist. 10. ad Rust. *Qui sua confessus fuerit peccata, & dixerit: putruerant, & corrupta sunt cicatrices meae, sordiditatem vulnerum in decorem sanitatis commutat. Negant, & pernegant moderni Philosophi non pauci numerò: creaturam assumi posse ad creandum per modum causæ instrumentalis: eò quòd creatio sit productio rei ex nihilo: omnis autem creata actio cum sit accidens, exigit operari dependenter à subjecto; verum huic neutiquam subscribet Vates regius, cum non dubitat: posse sibi creari cor mundum, mediante aliquà creatâ actione; sed quam illa? en hæc in propatulo est legenti Psal. 50. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Sola oris confessio hõc Doctore teste est creativa actio: petit ergo sibi creari cor novum mediante confessione adeoque ab omni macula purum, & à sordibus prorsus remotum. *Tam purus,* ait Bened. Fernand. in Genes. *ab omni labe per confessionem fidelis existit, ut non tam prioribus mundatum sordibus, quàm de novo creatum habere videatur.* Hæc omnia confirmat S. Ambros. exemplo, lectu dignissimo, quod de aliquo juvene, impuris amoribus dedito lib. 2. de pœnit. narrat. 15. Scelerum suorum pœnitens factus, exiit è paterna domo, in qua commoratus aliquandiu servierat Veneri. Post longum itineris spatium ad patriam tandem reversus, lascivæ fœminæ, cujus amoribus antea fruebatur, obviam factus; illam vel non noverat ampliùs, vel saltem non nosse se fingebat. Cum verò illa blandis salutans verbis, ei diceret: *Ego sum illa.* Reposuit juvenis: *sed ego non sum ille.* q. d. tu quidem depositis nondum in confessione sordibus remanes antiquum illud veneris deterrimæ mancipium: ego autem peccatis omnibus Sacerdoti dolorosè detectis, totus alius appareo. Eadem metamorphosis tecum continget ò Christiane, si hunc juvenem, quem forsitan imitatus es peccantem, imiteris confitentem.*

Consulera 2. Quòd licet inter geminos in utero Thamaris exi- N. 57.
stentes, & per partum effundendos, Zara prior manum extraxerit: quia tamen eandem retraxit, hinc prior egressus est Phares, docens: coronam non deberi benè incipientibus sed finientibus. Hinc frustra gloriaberis ò Christiane! te in via virtutum velociter cucurrisse, nisi ante mortem perveneris ad metam. Hominem ex terra formavit Deus, ex elemento, ut apparet stabili, eique in Paradisum posito duplex

duplex commisit munus : operari videlicet, & custodire. Unius horum munerum est : colere terram, alterius verò benè culta custodire, per quod ipsa operis benè cœpti consummatio denotatur. Scimus: gladium Davidis, quò Goliatho caput superbum amputaverat, inter Sacra Templi asservatum esse, non fundam aut lapidem : his siquidem duobus tantummodò prostraverat, & in terram dejecerat gigante; gladiò autem tanquam consummatæ victoriæ signò, illum penitus necavit. Christus Dominus ad descensum crucis provocatus, descendere noluit, quia gloriam, sibi à Patre dandam esse, non crederat; nisi moriens dixisset: *Consummatum est*. Nullum voluit Deus sibi offerri sacrificium, nisi sale conditum. At sal, cùm corporibus incorruptionem aspergat, symbolum perseverantiæ est : atque hinc Christus perpetuum Pacis fœdus nobiscum initurus, legatos suos misit, salis naturam induere justos, inquit: *Vos estis sal terræ*. Matthæi 5, inter hos solus infusus fuerat Judas, & hoc ea de causa, quòd licet optimè cœperit, pessimè tamen finiit, ex arbore suspensus : contra Paulus, etsi inceperit male, optimè tamen finiit. Tu ò Christiane! à Juda principium, finem à Paulo accipe, & inter hos duos media tutissimus ibis viâ, perventurus ad gloriam & coronam.



FASCICULUS X.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 39. lib. Genesis, in quo describitur Josephi Prosperitas & Tentatio, captivitas ob recusatum adulterium.

N. 8. *Considera* 1. **J**osephum ab eo momento, quò à suis fratribus fuit venditus, & patriò solò expulsus, speciali curâ à Deo exceptum esse, prout testatur S. Script. hujus cap. v. 2. *Fuitque Deus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens.* Præbet ergo insigne solatium illis omnibus, qui amicorum aut parentum auxiliò dese-